

Tertium autem est persona divina Verbi; haec enim est persona quae significat et intendit; quod ex ipso textu confirmatur cum humanitas Christi non ante sed post Abraham fuerit.

Quartum autem et quintum sunt persona Verbi divina prout in natura humana subsistit. Nam secundum suam naturam humanam persona Verbi et dicere potest et actu dicit. At secundum suam naturam divinam persona Verbi neque dicere potest neque dicit sed dicitur tantum, cum in divinis « dicere » sit actus notionalis (importat relationem personalem) qui Deo Patri proprius est.

At ulterius « ego » sumitur ad significandum subiectum psychologicum. Eo ergo modo quo in Christo agnovimus unum tantum et ontologicè et psychologicè, etiam unum « ego » idque divinum in Christo est ponendum. Eo autem modo quo in Christo duo agnovimus et ontologicè et psychologicè, etiam duo « ego » secundum quid, nempe, ego ut divinum et ego ut humanum, in Christo ponenda sunt et agnoscenda.

Quare in quantum idem subiectum sibi innotescit tum per conscientiam divinam tum per conscientiam humanam, unum « ego » simpliciter in Christo est sicut et una persona.

In quantum autem « ego », seu subiectum psychologicum, non solum ipsum subiectum dicit sed etiam habitudinem importat ad naturam atque conscientiam cuius subiectum est, cum in Christo duae sint naturae atque conscientiae, ideo in Christo distinguendum est inter « ego ut divinum » quod sibi secundum infinitam suam perfectionem innotescit et « ego ut humanum » quod ipse se experitur secundum limitationes naturae assumptae. Quae sane distinctio nihil est aliud quam ad campum psychologicum eam transferre distinctionem quae inter Christum ut Deum et Christum ut hominem notissima est.

Praeterea, hoc « ego » qua humanum in Christo diversificatur secundum diversos conscientiae status atque actus ita ut (1) idem semper sit subiectum etiam psychologicum et (2) alius et alius sint conscientiae status et (3) ipsum idem subiectum per diversos status diversimode se habeat et diversimode sibi innotescat. Eundem ergo dicimus etiam psychologicè cuius olim anima usque ad mortem erat tristis et nunc per visionem plene redundantem perfunditur gloria; quae differentiae non ita ad accessorium quemdam conscientiae statum restringuntur ut ipsum subiectum non afficiant atque penetrent; neque adeo ipsum subiectum immutent ut alius psychologicè olim fuerit tristis et alius psychologicè nunc sit beatus.

At quamvis in Christo homine agnoscamus « ego » qua humanum etiam secundum diversos conscientiae status modificatum, nullatenus in Christo admittendum credimus « ego » mere humanum quod a divina persona distinguatur saltem psychologicè. Haec enim

5
w d
pd

qua humanum / *

* important -
We missed this
in call 7
RD
No we didn't



De praesenti qualis sit terminus missionibus conveniens non determinatur sed quaestionibus subsequenter relinquitur.

Sententiarum differentiae

Circa ea quae contingenter de una alterave divina persona qua divina vere dicuntur, inter omnes de duobus constat, nempe, (1) nihil reale et intrinsecum addi divinae personae qua divinae propter tale verum, et (2) tale verum adaequationem cum re non habere sine termino ad extra convenienti. De primo constat, quia persona divina qua divina est immutabilis; de altero constat quia verum contingens sine re contingenti haberi non potest.

Attamen circa constitutionem horum verorum contingentium, in tres praecipue partes abeunt auctores.

Prima enim est classis eorum qui dicant tale verum contingens constitui, non per immutatam realitatem divinam, sed per terminum ad extra convenientem, videlicet, in quantum hic terminus speciali quodam modo respicit ipsam divinam personam de qua fit vera praedicatio contingens. Ita circa Incarnationem a sequacibus Scoti et Tiphani ponitur relatio specialis in natura assumpta ad solum Verbum assumens; et similiter circa increatum Spiritus sancti donum, a multis tenetur hoc donum qua datum constitui, eo quod in gratia sanctificante habetur relatio specialis ad donum divinum, quod quidem donum vel est ipse Spiritus sanctus vel per appropriationem Spiritus sanctus dicitur.

Aliis tamen videtur unumquodque per propriam suam realitatem constitui et ideo solam termini relationem non sufficere. Quare secunda classis eorum est qui dicant haec vera contingentia constitui per quamdam unionem infiniti et finiti; sicut enim uniuntur materia et forma, vel essentia et esse, vel potentia et actus, ita etiam infinitum et finitum modo quodam eminentiori uniri docent. Ita circa Incarnationem sentiunt qui eminentem quamdam actuationem essentiae humanae assumptae per esse Verbi divinum astruunt; et similiter post Petavium non pauci increatum Spiritus sancti donum qua datum quodammodo per modum cuiusdam formae nostrae sanctificationis vel saltem adoptionis concipere volunt¹².

¹² Contra radicem huius sententiarum classis arguitur, *ibid.*, pp. 63 s.

no
pr

